

PARS PRIMA.

THEORIA SENSUS (NOEMATICA).

§ 11.

Idea et verbum.

1. — E facultate cogitandi sequitur facultas loquendi, ex intellectu et ratione sermo seu lingua. Mens humana cogitationes — ideas¹ earumque ordinem — format, quae variis signis manifestari possunt. *Signa* autem *idearum* perfectissima sunt *verba* seu *vocabula*, quae sunt voces articulatae ideas manifestantes. Verba prolata et ipse actus loquendi vocantur sermo.

Quaevis idea aut uno *vocabulo* aut pluribus conjunctis id est *locutione* (phrasi, dictione) exprimitur. E. g. domus, panis, exercitus, anima, virtus vocabula sunt; S. Scriptura, apostolus gentium, tuba canere, fato cedere phrases sunt. Relatio idearum (iudicium logicum) enuntiatur *sententiis* seu *propositionibus*. Cogitatio per plures sententias ordine logico junctas continuata et verbis connexis expressa vocatur *oratio*. Ideae et sententiae pro diversa sua relatione varias mutationes subeunt, quas imitantur vocabulorum et propositionum formae.

Vocabula ac phrases ordine alphabetico enumerat, eorumque significationem indicat et explicat lexicon; mutationem et dispo-

¹ Per ideas intelligimus omnes mentis conceptus, et sensibiles (concretos) id est repraesentationes imaginationis, et insensibiles (abstractos) scilicet notiones intellectus. Ideae ergo idem significant, quod vocabulum Germanicum Vorstellung sensu lato. Repraesentatio (concrete Vorstellung) est imago psychica rerum singularium, notio (Begriff) autem complexus notarum logicarum essentiam rerum universalem exprimens. Praeter ideas alia adhuc sunt in conscientia genera actuum seu motuum interiorum, scilicet affectus et appetitus (Gefühle und Strebungen), qui cogniti in mente pariter ideae fiunt.

sitionem vocabulorum, relationibus idearum respondentem — declinationem, conjugationem, verborum ordinem, uno verbo propositionis compositionem — docet grammatica; propositionum relationem — coordinationem subordinationem, periodos — regulis suis moderatur syntaxis. Orationis ordinationem docet ars dicendi et scribendi i. e. rhetorica et stylistica.

Summa vocabulorum et phrasium item regularum grammaticalium et syntacticarum efficit linguam objective spectatam. Lingua ergo e lexico et grammatica (cum syntaxi), tamquam suis partibus constat. Usus linguae est sermo, et lingua uti dicitur loqui.

2. — Signa idearum sunt aut *voces* aut *aliae res*.

Vox (hang, Stimme) est sonus animalis ore emissus. Est autem vox significans *naturalis* aut *artificiosa*; prout natura aut homine auctore cum ideis vel affectionibus jungitur. Voces naturales in sermone humano vocantur etiam interjectiones. Deinde vox est *articulata* aut *inarticulata*; prior syllabis id est vocalibus et consonantibus alternantibus constat; altera non item. Vox articulata et artificiosa, ideam exprimens et plerumque pro ideae relatione mutabilis dicitur *vocabulum* seu (sensu lato) *verbum* (szó, Wort). Vocabula porro sua possunt habere signa visibilia, scripta, picta vel alia.

Vocabulorum genera praecipua sunt nomen et verbum, ad quae reliquae orationis partes tamquam eorum determinationes referuntur. Nomen et verbum vocantur termini, quia in illa prima elementa omnis propositio resolvitur.

Idae praeter voces etiam rebus significari possunt, scilicet personis, rebus irrationalibus et actionibus seu eventis. Haec vocantur *signa* cogitationum *realia*. Ejusmodi sunt vultus, gestus, symbola etc. Signa realia omnipotentiae divinae sunt etiam miracula, quae ideo in lingua Hebraica et biblica signa dicuntur.

Perfectissima tamen idearum signa sunt vocabula, et quidem viva voce prolata, quae omnia fere alia signa compensare, ipsa autem aliis signis rarissime compensari possunt. Signa tamen visibilia signis audibilibus stabilitate praestant. Ideo dicitur: verba volant, scripta manent. Perfectissimum ergo idearum signum est lingua oris; minus perfecta lingua scripta; plane imperfecta lingua interjectionum ac lingua mimica.

3. — *Propositio*. Verba sunt signa idearum naturae quidem impulsu (instinctive) constituta, sed quoad formam arbitraria, hypothetice tamen (in concreto) necessaria.

Natura homines ineluctabiliter impellit, ut cogitationes suas signis, praecipue vocibus articulatis exprimant. Homini namque praeter organa sermonis innata est facultas atque indigentia loquendi, item animae corporisque concordia; quare ideae, citius vel tardius, uno vel alio modo, sponte ac necessario in signa et voces prorumpunt, sicut etiam primis hominibus evenisse verisimile est. Aliqua ergo lingua loqui homini est naturale et psychologicè necessarium. Minime quidem negamus cogitationem puram i. e. verbis non expressam possibilem esse; immo concedimus in infantibus et surdis-mutis linguam aliquam mentis puram cognitioni linguae antecedere. Sed non est dubium, quin talis cogitatio muta sit valde imperfecta et difficillima. E contrario lingua et sermo verus sine cogitatione sunt impossibiles. Idea ergo ut in mundo apparere possit, formam induat necesse est, quae perfectissima est verbalis.

Qualem autem vocis formam idea capiat, ad intelligendum sermonem nihil refert, dummodo de aliqua vocis forma ut certae ideae signo inter homines (saltem virtualiter, ut dici solet) convenit. Forma verborum adeo ex arbitrio pendet, ut homines arte sibi linguam constituere possint, quod nostra aetate revera factum esse constat. (Lingua Volapük.) Ita se res habet in theoria.

Linguae tamen, quae vivunt vel olim vixerunt, teste earum historia et structura, non sunt figmenta arbitraria jussu vel actuali conventionem hominum orta, sed genimina, tamquam corpora organica ex occultis principiis nata, per causas physiologicas, psychologicas, et historicas exulta, multis etiam casibus fortuitis subjecta. Quae omnia linguarum formam tempore praeterito ita stabiliverunt atque sanxerunt, ut omnes, qui intelligi velint (etiamsi reges sint), linguae alicuius vocibus et legibus uti cogantur. Mutationes quidem linguae accidunt, at illae non auctoritate vel consensu, sed causis physicis psychicisque item casibus historicis perficiuntur.

4. — Quaecumque lingua, sive antiqua, sive recentior ab alia lingua profecta est. Causae, quae novas linguas producant, sunt sequentes: mutationes linguae, gutturis auriumque physiologicae, contactus aliarum linguarum, mutuatio idearum ac rerum peregrinarum, item differentia sermonis in diversis locis (dialectus), et regularum linguae neglectus. Linguarum tamen ascendentium genealogiae ut comparatio earum et historia docent, convergunt; adeo, ut omnes linguae a paucis, forsitan ab una descendisse videantur, quod S. Scriptura confirmat.

Quomodo prima lingua orta sit, certo dici nequit. Multi et doctissimi linguarum investigatores perinde ac revelatio divina primam linguam saltem mediate divinae originis fuisse testantur; quasi Deus homini facultatem, occasionem et necessitatem loquendi dederit itaque eum ad sermonem impulerit.

Voces autem ipsas earumque significationes primi homines invenire atque constituere poterant; ipsaque Scriptura indicare videtur (Gen. 2, 19. sqq.) aliquas saltem voces impulsu naturae et conditionum vitae ab iis subito fictas esse. Leges grammaticae primas logica menti innata certe dictavit.

Qualitas linguae primigeniae testimoniis deficientibus amplius cognosci non potest. Immo quum teste Scriptura linguae non sensim et gradatim modo naturali hucusque creverint, sed lingua primitiva violenti et repentina confusione ac concussione dilacerata sit: historia linguarum usque ad principia investigari et natura atque constitutio primi sermonis explicari nunquam poterunt.

§ 12.

Significatio et sensus.

1. — Oratio continua in potestatem singulorum verborum magnam vim habet; quapropter eadem verba in diversa oratione varias exprimere possunt cogitationes. Ideo distinguendum est inter significationem et sensum.

Significatio (jelentmény, Bedeutung, σημασία) definitur: idea vocabulo vel phrasi in se spectatis secundum consuetudinem sermonis expressa et in lexicon relata. *Sensus* (értemény, Sinn, νοῦς vel νόημα) est cogitatio vocabulis ac phrasibus (vel aliis signis) a loquente hic et nunc in propositionem vel orationem conjunctis manifestata.¹ Verba in se non habent sensum, sed idonea sunt ad eum accipiendum. Finis interpretationis est sensum, non significationem quaerere et proponere; primus autem gradus ad sensum inveniendum est significationis verborum cognitio. Fieri tamen potest, ut aliquis bene sciat singulorum verborum significationem vel significationes, nec sensum sermonis sit assecutus.

Essentia ac velut anima orationis est cogitatio verbis expressa; *expressio* autem, seu verba sensum manifestantia (λέξις, Wortlaut) sunt

¹ Quintilianus dicit: »Mente concepta sensus vocamus«. Ceterum vox sensus etiam facultatem sentiendi et ejus organa significat.

quasi idearum corpus vel indumenta. Deinde vocabula et phrases cum suis significationibus dici possunt materia sermonis; sensus autem est forma. Ipsa significatio vocis speciem tantum manifestat idearum, quae in quavis oratione (in concreto) aliam induit naturam individualem.

Cogitatio, quam loquens manifestare intendit, est *sensus subjectivus*; cogitatio autem verbis (vel aliis signis) expressa est *sensus objectivus*. Sensus mere subjectivus quum non sit signis expressus, et sensus mere objectivus, cui essentia sensus scil. cogitatio et intentio desit, non sunt veri sensus, sed tantum possibilitates sensus. Verus sensus non sunt nisi ambo conjuncti.

2. — Significatio a sensu multum *differt*.

a) Significatio est vocabulorum et phrasium, sensus autem propositionum et orationis.

b) Significatio vocum in essentia est grammaticae et historice constituta; sensus alicujus loci etiam a contextu et auctore dependet.

c) Significatio plerumque est vaga et indeterminata i. e. notae ambitusque ideae significatae pro diversis temporibus et hominibus saltem accidentaliter variant; sensus vero alicujus loci est certus et determinatus.

Ratio est, quod etsi verborum significatio usu loquendi constituta est, tamen res ipsae significatae aliter atque aliter pro diverso hominum ingenio, eruditione, affectione atque conditione cogitantur. Inde adagium hermeneuticum: si duo dicunt idem, non est idem. Sensus autem variare non potest, quia auctor eo loco et tempore pro sua conditione interna et externa non potuit nisi certam aliquam cogitationem habere et intendere.

d) Significationes (etiam propriae) vocabuli vel phrasid in omnibus linguis (non solum diverso tempore et apud diversos homines, sed etiam eodem tempore et apud eosdem homines) saepe multae sunt; sensus autem alicujus propositionis vel orationis, quem auctor cogitat intenditque, semper est unus.¹ E. g. verba os, putare, angelus, paradus, via, gratia plures habent significationes (aequivocas), sed unum tantum in unoquoque loco sensum.

¹ Num sensus multiplex aliquando sit possibilis, infra disputabitur.

§ 13.

Significationis divisio.

Significatio multifarie dividitur.

1. *Ratione antiquitatis* significatio est *primigenia et derivativa* (vel originalis, primitiva seu nativa et deductiva). Prior est illa, quam vox ab origine habuit, seu ad quam exprimendam primitus inventa vel formata est; posterior est illa, quam vox procedente tempore varias ob causas induit. Significatio nativa semper est una, derivatae possunt esse plures. Omnes fere significationes primitivae sensim in desuetudinem abeunt et obliterantur, derivativis eis succedentibus. (*Significatio obsoleta et vicens*.) Nunc plurimae voces nostrae sunt derivativae. In ipsis autem vocibus, quae hodie vigent, distinguitur significatio *primaria et secundaria*. Illa est, quae ceterarum fons est ac fundamentum, et primigeniae proxima esse praesumitur, et in bono lexico primum locum inter significationes tenet.

2. *Ratione originis* significatio dividitur in *etymologicam* (radicalem vel grammaticam) et *historicam*. Illa voci ex etymo seu radice et forma grammatica propria est, haec voci in historia, puta in usu liturgico, juridico adhaesit. E. g. anathema etymologice significat oblationem, historice apud Judeos morti devotum, apud Christianos ab ecclesia remotum. Discessio apud Latinos ex radice significat abitum, separationem, historice autem, ob suffragium in senatu per transitum in alterutram partem latum, ipsum suffragium vel sententiam. Haec tamen divisio plerumque congruit cum priore.

3. *Ratione usus* significatio est *propria aut translata*, (impropria, tropica, akyrologica). Propria est, quam vox ex usu communi et in lexico habet, sive originaliter sive derivative, sive etymologice sive historice; — translata est, quam auctor in aliquo loco vel casu contra consuetudinem sermonis communem voci attribuit. Ipsa autem significationis *translatio* potest esse *logica seu naturalis et historica*; pro eo ut vox in novam ideam ob hujus cum antiqua significatione relationem (similitudinem vel nexum) aut occasione factorum vel casu fortuito transfertur. E. g. jugum per translationem naturalem significat servitutem, psalterium (instrumentum musicum) per translationem historicam (psalmi olim psalterio canebantur) significat librum psalmodiarum. Significatio

translata communi atque constanti usu recepta et in lexicon relata vocatur *tropus lexicalis*, qui saepe antiquam significationem propriam penitus exstinguit.

4. *Ratione divulgationis* significatio est *universalis et particularis*, prout apud omnes, qui eadem lingua utuntur, aut apud certam hominum classem vel singulares tantum homines usurpatur. Posterius genus continet etiam vocabula artis seu *terminos technicos*.

Significatio adhuc distinguitur *univoca et aequivoca*, prout eadem vox pluribus attributa eandem in illis rem, aut diversas res designat. E. g. animal de homine et equo univoce dicitur; malum de pomo et malitia, sanus de homine et cibo, gallus de Franco et alite aequivoce praedicantur. Significatio *collectiva* est, quando vox plura conjuncta, *distributiva*, quando plura disjuncta designat. Deinde significatio dicitur etiam *abstracta, concreta, generalis, specialis et individualis*, prout pars vel accidens sine subjecto, substantia, genus, species, aut individuum verbis exprimitur. Haec autem logici tractant uberius.

§ 14.

Divisio sensus logica.

Sensus est cogitatio signis expressa; quatenus *cogitatio* est, ad logicam, quatenus signum et expressio est, ad hermeneuticam proprie pertinet. Logica autem *cogitationem* ratione objecti et intellectus spectat; ergo etiam in objecto sensus considerat speciem seu argumentum, veritatem et unitatem vel multitudinem; ex parte vero intellectus examinat assensum, cognoscendi facilitatem et criteria. Quae totidem praebent sensus dividendi rationes.

1. *Ratione argumenti* sensus est *historicus, dogmaticus, moralis (tropologicus), propheticus et anagogicus*, prout facta narrat, doctrinam (credenda) proponit, agenda docet ac praecipit, futura praenuntiat vel res vitae venturae (speranda) promittit.¹ Hae tamen sensus species invicem se minime excludunt, sed in eadem oratione simul adesse possunt.²

¹ S. Augustinus dicit: »In libris omnibus sanctis intueri oportet, quae ibi aeterna intimentur, quae facta narrentur, quae futura praenuntientur, quae agenda praecipiantur vel moneantur«. (Gen. ad lit. I. c. 1.)

² Antiqui has sensus species ad sensum spirituales nonnunquam restringunt, sed perperam; illae enim species tam in verbali, quam in reali, spirituali et illato sensu locum habent.

2. *Ratione veritatis* sensus est *verus et falsus* (genuinus et spurcius), prout ab auctore intentus et verbis expressus est aut non. Distinguenda autem est veritas falsitasve *objectiva et exegetica*. *Sensus objective et exegetice verus* est, qui in se verus est et oratione revera exprimitur; *objective verus et exegetice falsus* est sensus in se quidem verus, sed textu non expressus; *objective et exegetice falsus* est, qui nec in se verus est, nec verbis continetur; *objective falsus et exegetice verus* est, qui etsi in se falsus tamen revera dicitur. Sensus exegetice falsus consulto et saepe mala fide illatus vocatur *adulterinus* (falsificatus, suppositicius); sensus exegetice falsus vi et arte manifesta ingestus dicitur *extortus*; sensus, qui objectivae veritati vel textui aperte repugnat, vocatur *absurdus*.

3. *Ratione multiplicatis* sensus esse potest *solitarius et consociabilis* (exclusivus et geminatus); ille alias sensus species e mente auctoris excludit, hic praeter se etiam alium sensum admittit. Plures sensus consociabiles uniti vocantur sensus *multiplex*.

4. *Ratione assensus* et argumentorum sensus est *certus*, qui omnem suspicionem et metum oppositi tollit; *probabilis*, qui firmis rationibus, non tamen omnem oppositi metum excludentibus nititur; *dubius*, cui argumenta vel utrimque desunt, vel pro et contra aequalia sunt, et ideo rem in medio relinquunt; *conjecturalis*, qui non solidis rationibus, sed hypothesibus superstruitur; *possibilis*, cui nulla gravis causa obstat, sed nec ulla suffragatur; *improbabilis*, contra quem potentissima pugnant argumenta, sed non peremptoria.

5. *Ratione facilitatis*, qua invenitur et intelligitur sensus est *obvius* qui quamquam non semper verus, primo aspectu videtur; *certus* (evidens, apertus, perspicuus), qui facile et penitus cognoscitur; *obscurus*, qui etsi verus et certus tamen difficulter invenitur vel comprehenditur; *occultus* (reconditus), quem ipse auctor difficilem vel obscurum esse voluit; *confusus vel incomprehensibilis*, qui inveniri et intelligi vix aut omnino non potest. Quo sensus est clarior, eo plerumque est etiam certior.

6. *Ratione criterii* sensus est vel *hermeneutice* (philologicae, logice et historice), vel *traditione et authentice*, vel vero *utroque modo demonstrabilis*. Quae denominationes per se intelliguntur.

§ 15.

Divisio sensus hermeneutica.

1. — Magni momenti in hermeneutica est quaestio: *quae sint species sensus hermeneuticae?* idest quomodo sensus, ut proprium hermeneuticae objectum, seu cogitatio *signis expressa*, dividatur. In hac divisione magna erat semper et est inter auctores dissensio, immo nonnunquam idearum confusio.

Causa manifeste ex eo pendet, quatenus expressionis proprietas fundamentum divisionis ponatur. Utique ea, quae maxime ad rei essentiam et ad praxim pertinet. Atqui natura expressionis propria et utilitas maxima in eo potissimum consistit, quod illa ab auctore *intenditur et signis* efficitur. Prima ergo et maxima circa expressionem quaestio est: *auctorne* expressionem cogitationis intenderit, an vero *lector* cogitationem orationi intulerit? Altera quaestio est, utrum cogitatio *per verba*, an *per res verbis* designatas exprimatur, idest utrum verba ipsa an res propositae sint propria cogitationum signa. Sensus ergo primum ratione *intentionis seu auctoris*, deinde ratione *signi* dividendus, antequam ad subdivisiones et infimas species descendatur.

2. — Nos ratione intentionis seu auctoris habita sensum imprimis dividimus in sensum *expressum et illatum*. Sensus expressus est cogitatio auctoris, quae in oratione ab eo cognoscibiliter significatur; sensus illatus est, qui in textu ab auctore non exprimitur, sed ab interprete praeter mentem auctoris orationi attribuitur. Quum essentia sensus sit cogitatio auctoris, ideo verus sensus non est nisi expressus. Sensus autem verbis revera expressus (*sensus objectivus*) praesumitur ab auctore intentus (*sensus subjectivus*) esse; in sacris autem scripturis, omnipotentis Dei operibus, sensum objectivum semper et necessario etiam subjectivum esse, idest signum intentioni perfecte respondere, patet.

At quomodo illa *expressio* sensus accipienda est? subjective an objective? seu quid est sensus expressus? idne, quod auctor dicere voluit, an id quod revera dixit? utrum sensus mere intentus, an sensus casu et inconsulto natus, an vero sensus intentus et revera verbis significatus? Non est dubium, quin *subjectivus sensus quaeratur, non objectivus*. Non enim de eo agitur, quid oratio dicat, sed quid auctor dicere voluerit. Cogitatio tamen auctoris cognosci non potest, nisi ex manifestatione; itaque non idea in auctore latens sed tantum sermo auctoris intelligi et explicari potest. Nilominus in praxi sensus inten-

tus et expressus pro eodem habentur; quia auctor linguae gnarus clarus habens ideas, eas dummodo velit, verbis exprimere potest. Sensus ergo verbis revera significatus seu objectivus, qui per leges hermeneuticas cognoscitur, pro cogitatione auctoris expressa (sensu subjectivo) merito habetur.

3. — Sensus expressus est aut *verbalis, litteralis* (sensu stricto) *seu immediatus*, aut *realis seu mediatus*.¹ (Szószertinti és dologi értelem, Wortsinn, Verbalsinn, Literalsinn und Sachsinn.) Sensus verbalis est, quem verba, — non singula, sed tota oratio — immediate (sensu proprio vel improprio) exprimunt; realis ille, cuius res (personae, res irrationales, aut actus vel eventus) verbis expressae sunt signa.

Sensus verbalis invenitur in sermone sive sensu proprio dicto sive translato: in metaphoris, parabolis, allegoriis, fabulis, metonymiis, synecdochis, gnomis etc.; sensus autem realis locum habet in symbolis et typis. In sensu verbali medium inter cogitationem auctoris et auditoris est sermo; in sensu reali duplex est medium: sermo et res per hunc significata. Sensus realis non excludit verbalem, immo eum supponit et eo nititur, ideo semper est sensus alteri consociatus. Uterque est verus sensus intentus et revera expressus.

Nos omnes sensus species, quae verbis immediate non exprimuntur, ergo sensum translatum, realem immo etiam illatum, *obliquum* vocamus, cui contrarium sensum proprium vocamus *directum*.²

¹ Denominatio quidem sensus *mediati* justo amplior est, quia revera omnis sensus praeter proprium est mediatus; sed nomen illud tam receptum est, ut illud relinquere esset tirones libros hermeneuticos legentes perturbare.

² S. Thomas distinctionem sensus verbalis et realis etsi aliis, ac recentiores, verbis technicis, tamen acute, ut solet, explicat pluribus locis. Praecipua ejus dicta sunt, quae sequuntur.

»Auctor S. Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo quum in omnibus scientiis voces significant, hoc habet proprium ista scientia (theologia), quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis. Illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur et eum supponit. Sum. theol. I. qu. 1. a. 10.

»Sensus isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces, signa esse possunt